



HISPALENSIS Ecclesiæ Diœcesis in ea Hispaniæ Prouincia continetur, quæ cum-
 ctas diuite cultu & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Beticam veteres à Bê-
 ti fluuiò, recentiores, VVandaliciam, à VVandalis eam posteriori seculo occupanti-
 bus, vocarunt. Cuius quidem conuentus omnium Regionum atque cõuentuum Hispaniæ,
 cum frequentia & ciuilitate populorum, tum diuitijs, & beata rerum omnium copia foeli-
 cissimus iure censetur, fidem etiam accipientibus Græcorum carminibus, qui Elysijs amœ-
 nitates & delicias huic trañt adtingunt, qui Oceano occiduo obiectus est: longè latèque pa-
 tet hoc territorium in ducenta ferme egregia oppida, vicis quamplurimis non annumeratis,
 vt vnus hic conuentus pluribus oppidis iuridicus nunc sit, quàm omnes quatuor simul in ea
 prouincia fuere: quos auctore Plinio CLXXV. tantùm iura dedisse constat. Nam quota pars
 hæc fuerit; si centum pagorum millia accenseantur quæ à diuo Ferdinando Rege in Hispa-
 lensi agro quem Axaratum Arabes vocarunt, cum ipsa vrbe in fidem recepta sunt; Sed ea ex-
 pulsis Barbaris magna ex parte desolata sunt: limites autem vt ab antiqua conuentuum de-
 scriptione multum recessere, ita ad Vambæ regis formulam cunctis Hispaniæ ecclesijs præ-
 scriptam propiùs accedunt, habet enim hæc Diœcesis ab Ortù Cordubense territoriũ, ab Oc-
 casu Algarbiorum fines; qua Septentrionem spectat, eam Lusitaniæ ditionem attingit, quæ
 diui Jacobi magistratus appellatur, cetera verò Meridiem versus Gaditano cõuentu, & Ocea-
 no clauditur. Oppida in ea præcipua quamplurima sunt, imprimis ipsa vrbs regia Hispalis
 amplissimo atque amœnissimo situ, & pulcherrimo murorum ambitu ad Bætis oram posita.
 Bætis ex saltu Tygensi ortus, & egregia adoptatæ prouinciæ vrbes præterlapsus, iam inde ab
 hac illustrissima colonia olim Romulea cognominata, nauigabili & piscoso alueo ad Gadi-
 tanum Oceanum per sexaginta passuum millia decurrit, ripis vtrimque oliuetis, vineis, & mi-
 ra hortorum amœnitate florentibus, & iucundissimo citriorum odore fragrantibus.

